



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

Kolb, Gregor

Rottwilae, 1725

VD18 12054054

XXII. Lupoldus. XXIII. Nicetius. XXIV. Marianus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64326)

S E C U L U M V.

- XXII. Lupoldus. 17. sub D. Innocentio I.
 XXIII. Nicetius. sed. an. 8. D. Bonifac. I. & D. Cœlestin.
 XXIV. Marianus. 10. D. Cœlest. & D. Sixto III.

XXV. D. AVREVS.

D. Aureus Moguntinorum Episcopus, ad Clavum Romanum sedente D. Leone I. Pont. electus, qua patria, aut unde domo venerit, haud patet. Librorum nempe partem maximam optimamque tyrannorum & hæreticorum violentiâ ereptam sibi, queritur etiam hoc quintum Christi seculum, quo Attila Hunnorum Rex Occidentis Imperium ferè totum pessumdedit, & Arianorum machinatio Ecclesiam Romanam simulque Germanam plurimum vexavit. Utriusque rabiem ac furorem nimium quantum expertus D. Aureus, ut sese servaret pastorem ovibus, Moguntiam tantisper reliquit, partim flammis, partim ruinis ab Attila everfam, more urbium aliarum maximè in littore Rheni positarum, inter quales numeras Spiram, Wormatiam, Argentoratum &c. Victo denique & pene ad interuersionem deleto in campis galliæ Catalaunicis Hunnorum exercitu, & horum Rege in Pannoniam reduce, redux & ipse Moguntiam D. Præsul non cunctando, sed properando restituit rem. Odium idcirco incurrit Arianorum maximum pastor vigilantissimus; unde cum fortè in Sacello prope Dalhemium extructo ad aram faceret, ab Arianorum armata cohorte subito occupatur, multis confoditur vulneribus, & unà cum paris sanctitatis sorore Justina præceps in profundum datur. Annis trecentis & pluribus latuere hæc DD. Martyrum cadavera, nulla sui parte corrupta, & sanguinis rubore aspersa, quæ tandem Richolphus Carolo M. gratissimus